



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Litterae Praelatorvm Graeciae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO CHRISTI 1174

καὶ ἡμῖν νῦν δύσκολον διὰ τὸ ἔσθ  
λαθὸν ἀπειρον πλῆθος. διενεμήθη παρὸς  
τύποις καὶ πῶς παροδὸν ἡμετέροις  
ἀποκρισιαροῖς, ἵνα τὰ δηλωθέντα διὰ  
τῆς ᾠδούσης ἡμετέρας γραφῆς ὁμο-  
λογήσωσι καὶ ἐπέξωσι δικαίω τῆς βα-  
σιλείας ἡμῶν, ἐνώπιον τῆς σῆς μεγα-  
λῆς ἀνωγεινῆς. τὸ οὐδὲν ἄλλο γράμ-  
μα τῆς ἡμετέρας ἀναγνωρίσεως, ἀπο-  
δοχῆς, καὶ ὑποδοχῆς, καὶ ὁμολογίας  
οἰκιοχίεως τῆ ἡμετέρας θεοῦ χεῖρα  
βασιλικῆ ὑπογραφῆ ἰσημειωσάμε-  
θα, καὶ τὸ σφραγισμα τῆ ἡμετέρου κρα-  
τοῦς καταθέν ἀπὸ τῶν ἡμετέρων.

nobis nunc difficile propter in-  
finitam multitudinem popu-  
li. Commisimus autem super his  
praesentibus nuntiis imperii no-  
stri, ut dicta per praesentes lite-  
ras nostras constentur & affir-  
ment vice imperii nostri coram  
magna sanctitate vestra. Prae-  
sens igitur scriptum de nostra  
recognitione, susceptione, ac-  
ceptatione, & professione, &  
confessione, propria manu no-  
stra Dei gratia imperiali subscri-  
ptione signauimus, & sigillum  
nostrae potentiae inferius appen-  
di fecimus.

Μιχαὴλ εἰ Χειρῶ τῶ θεοῦ πρὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ρωμαίων, Δούκας, Ἀββῶ, Κομνηνὸς, ὁ Παλαιολόγος.

Subscriptio imperatoris.

LITERAE PRAELATORVM GRÆCIAE.

SANCTISSIMO, reuerendissimo, & beatissimo papa, Santiquo Romanorum domino, Gregorio magno pontifici excellentissima apostolica sedis, & venerabilissimo domino & patri nostrae humanitatis: Nos qui ecclesiasticam complemus ordinationem, vestrae Romanae sanctissima ecclesiae salutem, spiritualis subiectionis affectionem ubique: metropolita Ephesus praehonoratus exarchus totius Asiae, cum ea, quae circa me est, sancta Synodo, metropolitano Heracleae in Thracia, & praesul \* honoratorum, cum ea, quae circa me est, sancta Synodo, metropolita Calchedonis superhonoratus, cum ea, quae circa me est, sancta Synodo, metropolita Tyanorum, cum ea quae circa me est, sancta Synodo, episcopus metropolitano Iconii, cum iis, qui circa me sunt, episcopis, metropolitano Naupaeti superhonoratus, cum ea, quae circa me est, sancta Synodo, metropolitano Heracleae Ponti superhonoratus, cum iis qui circa me sunt, episcopis, metropolitano Conconii, cum iis qui circa me sunt episcopis, metropolitano Carias, cum ea, quae circa me est, sancta Synodo, metropolitano Beroeas superhonoratus, cum ea, quae circa me est sancta Synodo, metropolitano Athenarum,

Yyy iij

\* by. Holographum.



& locum Philippopolitanae supplens, cum iis, qui circa me sunt, episcopis, metropolitanus superhonoratus & exarchus insularum Cycladum, cum his, qui circa me sunt episcopis, metropolitanus Philippensium, cum iis, qui circa me sunt episcopis, metropolitanus \*Sinnicae, cum iis, qui circa me sunt episcopis, metropolitanus Serrorum cum ea, & ceteris, metropolitanus Amastridae, metropolitanus \*Alaniae, metropolitanus Prusae, metropolitanus Madytorum, metropolitanus Abydi, metropolitanus Christianopoleos, metropolitanus Selybriae, metropolitanus Mesembriae, metropolitanus Apri, metropolitanus Acinnii, metropolitanus Parii, metropolitanus Didymotichi, metropolitanus Anastasiopoleos, archiepiscopus Byzantiae, archiepiscopus Cypsellorum, archiepiscopus Gattilleris, archiepiscopus Dercae, archiepiscopus Praeconnesi, archiepiscopus Lopodii, archiepiscopus Pergami, archiepiscopus Melanii, archiepiscopus Beriae: Adhuc autem cum nobis pontificibus, & magna Synodo, & archidiaconus honoratissimus Seuerfibilis cum totali venerabili clero; cum iis autem, & qui clerum complent sanctissimae ecclesiae magna Dei, videlicet magnus oeconomus, protecdicus, logotheta, castrisus, referendarius, qui super iudicia, qui super secreta, qui super sacrum & dona apostolica, qui primicerius patriarchalium notariorum, qui princeps ecclesiarum, qui super petitiones, qui rememoratorii, qui ostiarii, qui patriarchales notarii, qui protopapae, cum toto presbyterio archidiaconatus ecclesiastici, & qui domestici, cum omnibus psalmistis & lectoribus. Non solum nunc, sed prius beatissimae & sanctissimae vestrae ecclesiae magnam faciebamus diuisionem integritatis, & ecclesiarum Christi totaliter vnitatem dilacerabamus.

Quomodo, qui vnus pastoris sumus, non in vnum & inter vnum aggregamur ouile; nec vnum replemus mandatum Christi? sed ea quae sunt discordiae magis eligimus, & bono pacis amisso, inuenire non quaerimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur? Nullus autem erat qui coniungeret omnes in vnum, & sufflaret quasi ad vnum flamen singulorum concordiam: quam autem secundum Christi desiderium a Deo coronandus sanctus noster imperator totus ad se ipsum, intellectum attendens, vt oportebat,



nunc in hac parte Dei gratia prahonorabilibus aliquibus deputauit. Prius ipse in seipso laborabat, quo vtique modo non declinaret nec ad remissionem: donec scissuram ecclesie ad vnam interim compaginaret vnitatem: deinde non deficiebat communicando nobis, quod in voluntate habebat semper, & ostendendo qualiter habet suum propositum animæ. Vt autem ad ipsum venerabiles nuntii vestrae sanctitatis apostolicas literas & porrexerunt & presentauerunt, quam vestra beatitudo desiderantium accelerat coniunctionem, totus exurgit promptius, & pratermittit quod alienum esset, & quasi in secunda consideratione omnia negotia sua reputat, proponens ea quæ mandatorum vestrorum sunt, & suarum sollicitudinum & dispositionum. Conuocat igitur ad seipsum nostrum vniuersum pontificale collegium, & postmodum alios, quotquot maxime spiritualitati adherent, & circa studium ecclesiasticum exercitium habent vnum, & quantus eorum quidem nocturnus & diurnus eius labor in medio est. Qui instat, quasi totaliter pervigil; qui etiam & studiosè exercuit, & quasi semper in suscepto opere fuit, donec ad vnam & eandem multorum attraheret sententiam, longiore quidem & indigno sermone agitatam, si totum processum vestrae magnitudini presentarem. Quidam tamen nostrum statim conuenerunt, & quæ pacis fuerant amplexati sunt: quidam vero magis obstinatores apparuerunt, temporis antiquitatem reuoluentes in mentem, & opposcentes alii, quasi de necessitate hoc imponeretur eis. Sed a Deo coronati imperatoris diligentia vicit in finem, & habet omnes iam concordés ad vnicam hanc vnionem, per quam apostolicæ sedis antiquæ Romæ, ab antiquissimis attributos primatus attribuire assentimus. Hoc scilicet Dei gratia cooperata est, vt habeat ex nobis apostolica magnitudo nostræ sanctitatis sententiã agnoscere, qualiterque magnifico imperatori nostro simul comunicauerimus in sententia: & quæ quidem attenderit & vult libenter, & nos acceptamus: breuiter presentem epistolam annotamus, & ad conspicuam excellentiam vestrae magnitudinis transmittimus. Scitote quid nos volumus, quod pontificalis sedis tota plenitudo, cum toto venerabili clero, & omnibus officariis, sacerdotibus, diaconis, & lectoribus sanctissimæ ecclesie Dei conuenit in



vnum, vt attribuat prompte vestrae sanctitati & apostolicae sedi quod ad honorem pertinet, nec alium primum & summum pontificem ecclesiarum omnium nominaturi. Sed antiquam internuntiorum confessionem agnouimus, quam & patres nostri semper attenderunt toto praeterito tempore vsque ad tempus hoc. Vnde nostrum patriarcham & subsequenter omnes alios, quotquot conuenerunt, vt in vnum haerant, & sedis ponerent concordiam, obsecrauimus. Ipse vero cum magna instantia tenet quod agnosci debet primus; & postea, vt indicat, non decidet ab ista voluntate: nec adhuc a prima sententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus est. Vnde & pluries nos praelati correximus ipsum, ipse nequidquam ad praesens acquieuit. Nos autem & nobiscum potentissimus imperator iniunximus illi a patriarchali sede recedenti, omnia in vna forma solitudinis manere, quae sunt Constantinopoli monasteriorum, donec nuntii ad vestram sanctitatem accedant, & audiant sermonem vestrum, & si magnitudo vestra ita recipiat, deleget certos delegatos cum nostris reuersis legatis. Et nos hunc finem obtinentes, communiter & interim conuenientes, attrahemus patriarcham nostrum, vt si recedere ipsum ab intentione contingat, nobisque inclinauerit, & nos reddet beneuolos esse, quod praeteritis temporibus throno apostolicae sedis insuper excellens honor attributus est: sic habebimus ipsum pontificem etiam spiritualiter, sicut prius praesidentem. Si vero immutabiliter se habeat in sententia, tunc dependebit omnis necessitas & ipsum deiicere, & patriarchali principatu priuare. Nos autem constituemus & promouebimus alium, qui utique consentiat nobiscumque eiusdem voluntatis esse, & reddere conuenientem primatum summitati sanctitatis vestrae. Hoc igitur proponimus, a Deo honorate domine, nos, quos patriarchalis Constantinopolitanae sedis sublimes pontifices cum omnibus qui circa nos venerabilibus clericis per hoc scriptum nostrum vobis coniungi habemus; qualiter si solum vestra magnitudo, ea quae legationis sunt admittat, non est quod tempus teratur: & nos inclinamus prompte, & magna vestrae altitudini submittimus, & valde gratanter ea quae sunt spiritualis subiectionis totius asserimus, & nihil eorum denegamus quae ante schisma praestabant patres nostri his, qui

ANNO  
Cristi  
1174



ANNO  
CHRISTI  
1274.

apostolicam regebant sedem, sed statim & nos attribui-  
mus. Alia quidem signabunt nuntii, & gloriosæ vestræ  
sanctitati notificabunt. Finaliter sicut in spiritualibus po-  
tentissimus noster imperator, & nos pontificum colle-  
gium episcopis commisimus: sicut ceteri spiritualiter ab  
imperiali magnificentia mandatum acceperunt, de qui-  
bus quicumque ad sæcularis principatus pertinent guber-  
nationem vestræ sanctitati referabunt a Deo coronato  
nostro imperatore. Confidimus autem quod pacis auctor  
Deus vnitatem paterna victus clementia adaperiet, nos-  
que & magistratus gratanter suscipiet inclinatos: & ve-  
stram familiaritatem inuocantes & paternitatem.

*Sacramentum Græcorum.*

Ego nuntius habens ab eisdem sufficientem ad infra  
scripta mandata subscriptam fidei veritatem, prout ple-  
ne lecta est, & fideliter exposita a me, Dei & Domini no-  
stri nomine veram sanctam catholicam fidem esse cog-  
nosco, eam accepto, & corde & ore confiteor; ipsam-  
que prout tenet, & fideliter docet, & prædicat sancta  
Romana ecclesia, inuiolabiliter seruaturum, & in ea om-  
ni tempore perseueraturum, nec ab ea vlllo vnquam tem-  
pore recessurum, vel quoquo modo deuiaturum, nec dif-  
crepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacro-  
sanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie conti-  
netur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens  
fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio. Et ipse  
omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa  
eiusdem ecclesiæ Romanæ primatum, & episcoporum  
recognitionem, acceptionem, susceptionem, obser-  
uantiam ac perseuerantiam seruaturum, præstato corpo-  
raliter iuramento, promitto & confirmo. Sic Deus ipsum  
adiuuet, & hæc sancta euangelia. Scrinarius, sacrista, char-  
tophylax, & magnus sceuophylax sanctissimi eius qui in  
Constantinopoli est patriarchatus, Ioannes lector.